

GEORGIVS THEANDER

SACRAE THEOLOGIAE candidatis. S. P.D.



Vobis in ceteris rebus penè omnibus fit, ut quæ optima sunt, non modo, non rectè curemus, sed & penitus negligamus, hoc etiam in bonis disciplinis, non citra grauem animi dolorem, fieri uideamus. Theologia extra omnem controversiam, scientiarum præstantissima est, & ueluti antensis gnana, sed quotus quisq; est, qui cā ità, ut par esset, excusat, ueneretur, amplectatur? Ità miserè iacet ea contempta, ita exulat, ne dicā, e scholis nostris penitus fermè explosa est, ex quo Antistes illius, et Dux inclytus. D. IOANNES ECCIVS, uir incomparabilis, & æterna memoria dignus, inter uiuos esse desit, ut facile persuaderi possim, eam, terris relictis, unā cū suo Duce in cœlos euolasse, adeo scilicet obmutuit ea, adeo locus eius desertus est. Quanquam nō cessant ij (quod indubitate credo) quibus scholæ nostræ cura, & administratio delegata est, pro uirili sua eniti, ut habeamus tandem, qui eam iam denuo reuocent, reuocatæ operam suam nauent, eamq; pro suo quisq; officio, & doceant et frequentent. Id quod ut aliquando tandem fiat, omnes certè Theologiæ candidati obnixissimè unā mecum petete debebunt. Interim etiā ego, ne male feriatus, & nullas omnino suppetias rei tam deploratæ attulisse uidear, tametsi paruitatis meæ uiriculæ multo tenuiores sunt (quod non ignoro) quam a quibus presidij aliquid in re tam desperata, sperari possit, si quid tamen eæ possunt, tantum profectò abest, ut communī utilitati subtrahere uelim, ut etiam nihil perinde cordi sit, atq; eam mea qualicunq; opella iuuare. In gratiam itaq; studiosorum Theologiæ, et ne huic ipsi tam miserè afflictæ uitio meo defuisse uidear, prælecturys elegantem illam, & plenè diuinam Diui PAULI Apostoli Epistolam, quæ ad Philipenses scripta est, pro fœlici eiusdem auspicio, breuem orationem in sacræ Theologiæ laudem instituam, Deinde etiam, quæ ad sacram scripturam intelligendam, aliquo modo facere uidebuntur, breui compendio traditurus. Quare præclaræ disciplinæ huius sacris initiati, quinimo & ij, qui his iniciari cupiunt, Cras hora in Theologorum auditorium sese recipiant, ibi nimirum audituri, quod in omnem uitæ ætatem plurimum emolumenti, atq; adeo momenti (quod spero) sit habiturum.

